

trem, Filium & Spiritum S. Quid igitur absurdum est, si ex haec
voce Tres colligamus substantivum nomen Trinitatis? Tres
sunt in cœlo, Pater, ἀρχως & Spiritus S. & hi tres unum sunt,
unum non consensione testimoniij, sed unum unitate essen-
tiæ.

XLIX.

Quia itaque omne trium Trinitate est trium, & omne
unum unitate unum est, recte infertur, Patrem Filium & Spi-
ritū S. esse Trinitate personarū, & esse ipsum unitate essen-
tiæ: cum illa de nullis alijs quam personis, hæc non nisi de es-
sentia intelligi queat.

L.

Significat vero Trinitas determinatum numerum
Personarum. Ut ergo ponitur personarum pluralitas; ta etiam
utendum fuit nomine Trinitatis. Thom. p. . q. 31. art. 1.

LI.

Notandum autem, quod dicamus Trinitas non Tripli-
citas, quia ibi non potest esse Triplicitas ubi summa unitas &
indifferens æqualitas. Hinc Aug. recte lib. 7. de Trin. c. 7. Non
quoniam Deus Trinus ideo triplex putandus est, alioquin mi-
nor esset Pater solus aut Filius solus, quam simul Pater & Filius
vel solus Spiritus S. quam simul Pater, Filius, & Spiritus S.

LII.

Duo hic notanda & removenda sunt, unum est quod
Bellarm. refert in præf. controv. de Christo D. Lutheru nomen
Trinitatis displicuisse, ac proinde ex Germanorum precibus
illam precandi formulam, Sancta Trinitas, Unus Deus mis-
tere nobis, ab ipso submotum esse. Alterum, eorum opinio, qui
existimant nomen Trinitatis non reperiiri apud illos veteres
nascentis Ecclesiæ Patres, sed tantum qui post mota ab hære-
ticis certamina floruerunt.

LIII.

Sed salva res est. Primum mera calumnia. I. Nullum enim
ex Lutheru producit locum Iesuita, merito ergo suspecta hæc
assertio, tum etiam contrarium demonstrant, precatio[n]es illi-
us, orationes ut manifestum est illis, qui huius viri scripta vel à
limine salutarunt.

LIV. Ar-